

05

A

1492



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-546255-p0002-0

DFG

I. N. J.
De
OBJECTO SCIEN-
TIÆ DIVINÆ,
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
P R I O R
Quam
In electorali ad Albim Academiâ
P R A E S E S
M. JOHANNES Deutscher /
SVERIN. POLON.
&
R E S P O N D E N S
JOHANNES NEMZEZ /
STARG. POMER.

Placido eruditorum examini
sistunt,


In Auditorio Minori.
Horis. Antem.

Ad diem XX. Octob. Anno M DC LXXVII.



WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.





Cum DEO!

§. 1.



Scientiam & in DEO dari & in homine in propatulo est. Quantum verò inter se invicem distent, Lactantius Firmianus Christianus ille Tullius (qvo elogio suo merito à Magno ornatur Erasmo) verè ac nervosè expressit , qvando lib. de Ira Dei cap. I. in hōc ab humanitate divinitatem differre afferit , qvod humanitatis sit ignoratio , Divinitatis scientia . Sunt cedro digna verba , qvi bus Divus Pater scientiæ divinæ perfectionem ac eminentiam præ humanā insinuat . Quamvis enim ea intellectus humani sit conditio , ut pro naturali , qvo totus veluti flagrat sciendi desiderio , rerum notitiam multo labore , indagatione ac experientiâ comparare sibi studeat , etiam non rarò pro suâ sagacitate , ad haut vulgarem & minimè contemnendam scientiam assurgat ; illa tamen qvando cum divina contenditur , non tam scientia qvam ignoratio , adeoq; & irridenda ut loquitur August. lib. II. ad Simpl. qvæst. ii. comparatio est . Nam qvæ intellectus humanus confusè , ex parte , hæsitanter , cum fluctuatione animi & mutabiliter cognoscit , ea Deus intelligit immutabiliter , certissimè , exactissimè , plenissimè , adæqvatè , distinctissimè ac evidentissimè . Et hinc est , qvod Christiani veteres non solùm , sed & ipsi gentiles ad designandam divinam scientiam , D E U M oculum modò dixerunt , modò pinxerunt , ut videre est apud Tetull. lib. de Trinit. Gell. Noct. Attic. lib. 14. cap. 4. Macrobius lib. I. Saturn. cap. 21. Plut. de Isid. & Osirid. Neq; sine causâ confert Maximus Tyrius Platonis

A 2

cus

cus divinam mentem, cum sole, & hujus instar uno obtutu omnia
videre ait, quod postea Boëthius ita expressit:

*Huic ex alto cuncta tueri
Nulla terræ mole resistunt;
Non nox aëris nubibus obstat.
Quæ sunt, quæ fuerunt, veniuntq;
Uno mentis cernit in ictu,
Quem, qui a respicit omnia solus,
Verum possis dicere solem.*

Neq; solum ob perfectionem intensivam, verum etiam extensivam divina scientia humanam longissimè superat; Hæc enim respectu Objectorum scibilium est limitata, illa contra extendit se ad omnia, qvæ cognitioni subjiciuntur, veritatemq; habent, ut inde omniscientia hodie nuncupetur. De hujus scientiæ divinæ objecto, ceu argumento gravissimo, difficultatisq; plenissimo, cum qvædam in medium proponere mecum constituerim, Deum, quo feliciter cedat institutum, supplex invoco ac veneror. *Da mihi Deus nosse me, nosse Te. Fiat!*

§. 2. De scientiæ divinæ objecto acturis, animus non est pluribus variis termini scientiæ significatus, apud Philosophum aliosq; passim occurrentes hic accersere, qvos annotatos præsertim reperies apud Excell. D. Fridem. Bechm. dissert. de Scient. Dei c. 1. p. 6. seq. Dn. Hundeshagen Theol. Natur. c. 9. p. 177. seq. aut nimis prolixè disputare de ratione & significatione, qvâ Deo accommodatur scientiæ perfectio, qvo de præter Autores jam jam laudatos conferri merentur Paulus Voëtius Theol. Natur. Reform. c. 12. §. 2. Clasen Theol. Natur. c. 21. Adrianus Heerebord. Melet. Phil. Volum. I. disp. 30. &c. aut immorari etiam divinæ scientiæ descriptioni, ejusq; ratione objectorum institutæ divisioni: multò minùs de modo atque medio objecta cognoscendi, materia alioquin intricatissimâ, qvæ ingenia etiam exercitatissima, Scholasticos cum primis fatigavit, nimis sollicitum esse; sed his aliundè cognitis atq; suppositis, disputationis nostræ limites sola objecti constituet contemplatio.

§. 3. Anteqvam verò ad ipsam objecti divinæ scientiæ evolutionem descendamus, ex Roder. de Arriag. Tom. I. in Thom. disp.

ia
disp. 15. sect. 2. supponimus, nomine objecti intellectus ex communi sententiâ nihil aliud significari, quam id, quod cognoscitur, sive nunc illud à cognitione distinctum sit, sive non. Quod dum ad intellectum divinum applicatur, difficultas illa, quomodo essentia Dei, quæ realiter non differt ab eo, naturam objecti induere possit, diluitur. Potest utiq; unum idemq; respectu sui ipsius objecti vicem gerere, cum intellectum humanum supra seipsum posse flecti in physicis doceatur.

§. 4. Quousq; autem se se divinum scire expandat, quodq; adæquatum objectum scientiæ divinæ constituendum sit, nunc paulò altius dispiciendum seqvitur. Possemus verò nos circa hanc doctrinam expedire breviter, divinæq; scientiæ ob suam perfectionem infinitam, & identitatem cum essentiâ, nullos admittente terminos ac limites, cognitionem omnium intelligibilium, tum eorum, quæ intra, tum, eorum quæ extra Deum sunt, etiam minimorum simpliciter adscribere: verùm, quia omnium cognoscibilium, non una eademq; est ratio, lubet cum plerisque scibile atq; objectum partiri in primarium & secundarium. Unde tamen neminem debere inferre monemus, duas easq; realiter distinctas in Deo esse scientias, quarum altera circa primarium, altera circa secundarium objectum versetur, nam, ut rectè ait Cyparishotus Decad. 8. c. 5. apud Bechm. loc. cit. non aliâ cognitione se Deus, aliâ vero ea, quæ à se effecta sunt, cognoscit.

§. 5 Fundamentum distinguendi objectum scientiæ divinæ in primum & secundum petitum est à scibile diversitate, quorum unum superioris ordinis, conditionis & naturæ, inferioris cætera, quod jam ex dicendis fusiūs constabit, ubi varios modos, quibus aliquid dici potest objectum primarium, explicaturi sumus, exinde enim simul ratio, cur aliquid objectum secundarium denominetur, patebit, nam oppositorum in eō eadem est ratio.

§. 6. Observamus autem ex Scholasticis quatuor potissimum modis, posse objectum cognoscibile dici primum seu primarium (1) ratione dignitatis, quod est inter omnia, quæ cognitione attinguntur, dignissimum, nobilissimum, excellentissimum ac perfectissimum (2) ratione originis sive ordinis naturæ, resultantis ex naturali ordine ipsorum objectorum in esse entis; nam hinc

resultat ordo eorumdem in esse intelligibilis, quatenus eo modo
unumquodque, quo est ens, intelligibile est, præsertim respectu in-
tellectus infinitè perfecti (3) ratione motionis, quod primò intel-
lectum movet ad cognoscendum, & virtute cuius intelligit, quic-
quid intelligit (4) ratione adæquationis quod quoad perfectio-
nem suam vel æquale est potentia cognitiva, vel actui cognitio-
nis. Conf. Joh. de Rada Controv. inter Thom. & Scotum part 1.
Controv. 29. Artic. 1. Gabr. Biel. 1. dist. 53. quæst. 3. Smising. Tract.
3. disp: 2. quæst. 2. Tom. 1. in Thom.

§. 7. Hoc objectum intellectus divini primarium est ipsa es-
senta divina, considerata quoad omnes suas perfectiones. Quod
quidem solâ applicatione indiget, si antea constiterit de sui ipsius
cognitione, quam, præterquam quod de fide esse ajant Scholastici,
Deum semetipsum cognoscere, sana ratio confirmat. Esset sanè
imperfectionis argumentum, omnia cognovisse, & tamen non
seipsum. Habet homo sui ipsius notitiam, habent & Angeli, quo
ipso stipite multò sunt perfectiores, qui seipsum nec intelligit,
nec intelligere potest. Huc facit etiam, quod Deus sit ens maxi-
mè spirituale, adeoq; & maximè intelligibile: imo, quod argu-
mento robur addit, est Deus objectum intellectus nobilissimum ac
præstantissimum, & intellectus divinus omnium perfectissimus,
undè nec ignorari tanquam objectum omnium præstantissimum
ac nobilissimum ab intellectu divino ceu omnium perfectissimo
poterit. Eleganter Aristot. lib. 12. Metaph. c. 9. Manifestum est,
inquit, mentem divinam intelligere, quod divinissimum & honorabili-
ssimum est; quo fit ut seipsum intelligit. Divina mens est supre-
ma & nobilissima intelligentia, seu intellectio ipsa, sed ad nobilita-
tem intellectus non parum facit nobilitas rei intellectæ: itaq; il-
la intellectio est optima, quæ est de objecto optimo: Nam, cum nihil
divinus, nihil melius sit Deo ipso, se quoq; Deus cognoscit, quia tunc
cognoscit, quod est optimum. Ex hisce disputatis nunc simul fluit
illud, quod divina essentia, sit Objectum scientiæ suæ primarium.
Est enim iuter omnia, quæ cognitione divinâ attinguntur, Deus
perfectissimus. Est causa omnium objectorum aliorum prima.
Primò movet intellectum, virtute cuius intelligit, quicquid intel-
ligit. Primò adæquatur ipsi cognitioni, quemadmodum enim
poten-



potentia cognoscitiva, in Deo est infinitæ perfectionis in genere
potentia cognoscentis; ita Deus infinita gaudet perfectione in
genere objectorum cognoscibilium.

§. 8. Haec tenus de scientiæ divinæ objecto primario. Suc-
cedit secundarium, quod cognitionem Dei secundariò terminat,
ad quod cuncta alia, quæ extra Deum sunt, referimus, cum omnia
divinæ patere scientiæ ob summam sui perfectionem & infinita-
tem in aprico sit positum. Est enim scientia Dei, ipsa ejus essen-
tia. Quousq; igitur terminatur divinum esse, eo usq; termina-
tur divinum scire. Sed divinum esse, terminatur ad omnia ex-
tra se posita, Ergo & divinum scire terminatur non solum ad i-
psum Deum, sed quoq; ad omnia extra se constituta.

§. 9. Qvanquam verò è re futurum erat, contradicentium
sententias hic paulò sollicitius examinare, vix tamen id disserta-
tionis nostræ ratio in præsens permittit: undè & hic non nisi le-
vi brachio eorum opiniones attingendæ erunt. Non jam virgu-
lam censoriam sumam in verba illa Hieronymi, quæ habet in Com-
ment. ad Habac. I. *Absurdum est, inquit, ad hoc Dei deducere Ma-
jestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quo-
vè moriantur: quæ cimicum & pulicum, & muscarum in terra
sit multitudo, quanti pisces in aquâ natent, & qui de minoribus
majorum præda cedere debeant.* Non ausim cum Vasquez in I.
Thom. Tom. I. qvæst. 14. Artic. 16. p. 323. temere pronunciare,
verba Hieronymi esse manifesta, ac rerum generalem solum no-
titiam in Deo concedere, ne cum Vasquez in justam Tanneri
(Tom. I. Theol. Schol. d.2. q. 8. p. 430.) reprehensionem incur-
ram, præsertim cum præter Lombardum, Hugonem de S. Victore,
& Gregorium de Valentia à B. Dorsch. part. 2. Theol. Zach. loc. 2.
§. 15. citatos, patrocinium ejus prolixâ Apologiâ in se suscepserint
B. noster Gerhard. Tom. II. Loc. de Provid. §. 38. & Magnif. D. Jo-
hann. Meisn. Patronus atq; ve Præceptor noster æterno obseqvii
cultu proseqvendus dissert. de mirandâ Dei Provident. Neq; in-
consortium osorum divinæ scientiæ adscribere lubet Aristotelem
ob verba illa, quæ habet lib. 12. Metaph. c. 9. cum sint, qui Aristot-
elem dextrè explicantes, eum ab erroris nota liberent, uti præ-
ter Fonsec. Coment. in loc. cit. nuper operosè id pro Aristot. egit

Daniel

Daniel Clasen loc. cit. c. 23. Certum tamen est Aristotelem alibi non sana scientia Dei proposuisse, nec repugnat cum Durando dicere, Aristotelem contraria docuisse, & ut hominem aliquando errasse. De Averroë & Avicenna, res magis videtur esse certa, quod statuerint, intellectum Dei vilescere, si ad vilia quæque cognoscenda se extendat, ut videtur est apud Scheibl. lib. 2. Metaph. c. 3. Molina Artic. 6. disp. unicā quæst. 14. recenset ex Capreolo, Aureolum afferuisse, Deum neque in communi, neque in particulari res creatas cognoscere.

§. 10. Ethi fuerunt, qui in genere Dei scientiam labefactasse dicuntur. In specie nunc à divinâ scientiâ eximunt nonnulli futura contingentia determinatè talia, in quibus è gentilibus sunt Aristot. quod lib. de Interp. c. 10. negat, contradictiarum de futuris contingentibus, alteram veram, alteram falsam esse, ita enim quod futurum est in contingentibus, verum non est, adeoque nec cognoscibile ab ipsomet Deo. Cicero lib. 2. de Divinit. disputans adversus fatum pro libertate: *Nihil, dicit, tam est contrarium rationi & constantiae, quam fortuna, ut mihi non in Deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu & fortuitò futurum sit. Sin scit, certè illud eveniet, si certe eveniet, nulla fortuna est.* Est autem fortuna, rerum igitur futurarum nulla est præsenſio. Vixit tempore Bernhardi quidam nomine Arnoldus, qui ut est apud Petav. Dogm. Theol. impiè negavit, Deum præscivisse lapsum Adami, aut nosse, hunc hominem ab illo cras iri imperfectum. E Christianis hodiè Conrad. Vorst. Tract. de Deo p. 31. & Sociniani futurorum contingentium infallibilem in Deo præscientiam destruere, conantur. Contra quos consulatur Magnif. D. Calov. Tom. 2. Syst. Theol. p. 511. seqq. & Tom. 3. p. 1168.

§. 11. A divinâ scientiâ excluserunt nonnulli Scholasticorum futura conditionatè talia, in quibus nominatim sunt Catherinus, Jansenius, Cabezudo, Crabrera &c. contra quos disputat Molina 1. part. quæst. 14. Artic. 13. disput. 18. & Ruiz. disp. 15. de Scientia Dei sect. 3. n. 2. p. 121. Huc spectant omnes illi, qui medium Dei scientiam hostico odio & insultu impetunt. Hi enim non omnia futura conditionata, sed ea tantum, quae in decreto divino sub conditione fuerint determinata, cognosci à Deo perhibent, de quibus alibi.

§. 12. VI-

§. 12. Vidimus varias Autorum de Scientiâ Dei sententias,
Nunc ad institutum, à qvo paulò divagati eramus, revertimur.
Evictum est antea uno invictissimo argumento, res omnes extra
Deum pertinere ad objectum scientiæ divinæ secundarium, nunc,
ut in earum diversitatem, naturasq; inquiramus, ordo postulat.
Dispisci autem evitandæ confusionis causâ, commodè possunt in
res positivas ac negativas, ut sub illis, possibilia qva talia, præ-
sentia, præterita, necessariò & contingenter, cum & sine condi-
tione futura : sub his pura non - entia & privationes conti-
neantur.

§. 13. Qvod ad objectum negativum, de qvo primo loco
dicere constituimus, magna inter eruditos disceptatio est, an sub
cognitionem Dei non - entia cadant. Qvæ controversia, ut ritè
expediatur, variæ acceptiones termini non-entis ex scholis Philo-
sophorum breviter erunt annotandæ. Et primò qvidem distin-
guitur non-ens in complexum & incomplexum. Hoc juxta Vas-
quezium & Smisingum est absentia simplex veri esse ex rerum na-
turâ ; illud est carentia veræ affirmationis vel negationis in pro-
positione : De illo non - ente explicat Smising verba Aristot.
1. Post 2. Non-ens non scitur, ut sensus sit : Propositio, qvæ fal-
sa est, non scitur, scientiâ scilicet non qvacunq;, sed approbativâ
& adhæsivâ. Qvâ ratione & Deus non - ens nescire rectissimè
dicitur, qvod propositioni in se falsæ, sive affirmans sit sive ne-
gans, assensum nunqvam præbeat. Nam intellectui divino res
nunqvam objicitur aliter, qvam in se est, nec Deus intelligit, qvod
non est, ac si esset ; & qvod est, ac si non esset. Qvæ falsitatem
habet propositio, eam non ut veram, qvæ veritatem, non ut falsam
cognoscit. Qvamvis igitur ut modò ostensum, Deus non - ens
complexum non cognoscat cognitione adhæsivâ sive approbati-
vâ, cognoscit tamen scientiâ simplici, non aliter, qvam sicuti
voluntatis divinæ objectum est bonum & malum, hoc volunta-
tis per displicantiam, illud voluntatis per complacentiam.

§. 14. Porrò etiam non Ens incomplexum pro ambigua en-
tis acceptione admodum variat, cum oppositorum eadem sit ra-
B tio.

tio. Non verò Prolixus ero in recensendis illis acceptionibus, ne omnia è chartâ in papyrus scripsisse videar; Consulantur libelli Metaphysicorum. Hoc loco, ubi non - entia possibilibus & futuris contra distinguntur, nec in sensu strictissimo, aut in oppositione ad Ens verum Metaph. nec in sensu generalissimo, aut in oppositione ad ens infinitum & per se subsistens: sed in sensu quodam medio sen laxiori h. e. in oppositione ad possibile & omne illud, quod quocunq; modo esse aliquod reale obtinet. accipitur. Et hoc sensu non - ens nullam essentiam, imò, ne diminutam qvidem realitatem babet. Distinximus verò tacitè hoc non - ens in purè tale & privativum; sub illo entia rationis & impossibilia comprehendimus.

§. 15. Cæterum non convenit inter Autores de quidditate entis rationis. Nos ut explicare possumus, quod quæsitum est, hujus controversiæ decisionem supponimus, & arripimus in schoolis nostris frequentatam descriptionem, quâ ens rationis esse docetur, quod nullum habet esse reale præter objectivum. Quæ descriptione aliis merito præfertur, quod non solum entis rationis strictè sic dicto, quod esse objectivum habet in intellectu; verum etiam enti rationis laxè sumpto, quod esse objectivum habet inphantasiâ, competit. Porrò impossibile est purum nihil sive non-ens, quod repugnat à statu nihileitatis per potentiam aliquam productivam in statum entitatis realem deduci. Illa verò potentia productiva, cum sit vel finita vel infinita, etiam impossibile produplici illâ potentiat variabit, ut aliud sit impossibile simpliciter seu absolute, aliud secundum Quid tale. Illud vocatur, quod ob repugnantiam ad effendum à nullâ potentiat sive finita sit, sive infinita, produci potest. Hoc quod à potentiat finitâ produci nequit, sed vires naturalium agentium excedit. Hoc impossibile secundum Quid, quia sub potentiat divinâ continetur, hic loci incensum venire nequaquam potest, quin potius ad numerum possibilium pertinet, de quibus postea.

§. 16. Postremò, quoad privationem hic nulla occurrit difficultas. Est verò privatio secundum descriptionem ab Arist. l. i.

Mc-

Metaph. c. §. traditam, & omnibus Philosophis approbatam atq; receptam, negatio vel absentia formæ, i. e. cujuscunq; perfectio-
nis inesse debitæ in Subjecto habili atque capaci: dividiturque
communissimè in substantialem & accidentalem, illa negat sub-
stantialem, hæc accidentalem perfectionem.

§. 17. Atque his ita, ut oportebat præmissis, dicimus I
DEUM cognoscere impossibilia. Pro qvo qvidem ostendendo
hocce unicum argumentum sufficerit. Q. omnium rerum
possibilium cognitionem habet, illum impossibilem notitia
fugere non potest. Atqvi Deus omnium rerum possibilium co-
gnitionem habet. E. Deum impossibilem notitia fugere non
potest. Major procedit ex naturâ oppositorum. Q. sunt oppo-
sita, eorum cognito uno cognoscitur, & alterum. Atqvi possibi-
le & impossibile sunt opposita. E. Minor solis jubare est clarior.
Nam possibile dicit non repugnantiam ad essendum vel existen-
dum, impossibile vero repugnantiam ad essendum; Dicere autem
repugnantiam ad existendum, & non dicere repugnantiam ad
existendum, sunt formaliter contradictoria. Minor in Syllogismo
principali infrà probabitur.

§. 18. Dicimus II. Deum cognoscere entia rationis. Nam
Q. actus & operationes rationis humanæ, qvarum beneficio en-
tia rationis singuntur atq; pinguntur, intelligit, is etiam entia
rationis cognoscit. Sed Deus actus & operationes &c. E. De
Majoris veritate nullum potest esse dubium. Cognito enim actu
intellectus & objectum ipsius cognosci oportet, cum actus re-
spectum ad suum objectum intrinsecè includat. Minor non me-
tuit negantem. Cave autem sis, ne cognoscere entia rationis,
cum τῷ formare confundas, qvod monemus contra illos, qui hæc
non rectè discernentes sic colligunt. Q. cognoscit entia rationis,
ille etiam format entia rationis. Sed Deus cognoscit. E. Nam
sicuti magnæ perfectionis est, entia rationis ab aliis fabricata, ad-
vertere, ita vicissim imperfectionis argumentum certissimum est,
entia rationis producere.

§. 19. Dicimus III. Deum cognoscere privativa omnia, ut
gemus (1) idem ferè argumentum, quo usi fuimus § 18. Q. co-
gnoscit positivas rerum creatarum perfectiones, is simul earum
oppositas privationes cognoscit. Atqui Deus cognoscit E. Ma-
joris ratio hic eadem, quam loc. cit. adhibuimus, recurrit. De
Minore verò nullum est dubium. (2) Q. in intellectus immedia-
tè lumine suo ad omnes in subjecto entitates scibiles pertingit,
ille intelligit etiam, atque cognoscit privationes. Intellectus
divinus E. Major prob. Qvia privationes sunt aliquod scibile,
quod declaratur hunc in modum. Qvicquid cognitionem ho-
minis terminat, id in se erit cognoscibile. Sed entia privativa
seu privationes cognitionem hominis terminant E. Majoris veri-
tas clara est, quia ab actu secundo ad primum semper V.C. Quod
Minorem concernit, experientiâ edocemur omnes, privationes
non subterfugere aciem intellectus nostri. Sic in homine desti-
tuto visu cæcitatem deprehendimus, in homine orbato auditu
surditatem intelligimus &c. Quod verò sub facultatem hominis
cognitivam cadit, id divinæ omniscientiæ velle subducere nefas
esset, cum hic insimul maxima privationes cognoscendi diversitas
deprehendatur. Nam non nisi in formâ oppositâ, vel per discur-
sum formæ oppositæ, ut loquitur Arriaga loco postea citando, ab
hominibus privationes apprehenduntur, quia de iis non habent
species; At verò DEUS non emendicans species ab objectis, sed
per semetipsum sufficientissimè completus, non solum per oppo-
sitorum remotionem, sed & in scipsis eas immediate intellectio-
ne suâ attingit.

§. 20. Dicimus IV. DEUM cognoscere mala etiam culpæ &
pœnæ. Effati hujus confirmationem anteqâ aggrediamur, juvat hic
vel tribus solum verbis mali pœnæ & culpæ rationem & naturam
exposuisse. Malum culpæ itaqve juxta nonnullos est carentia per-
fectionis debitæ secundum actionem liberam, juxta alios est omne
illud, quod est contra legem Dei, diciturq; communiter malum
absolutè, item vitium atque peccatum, quod plerumque vel o-
missionis, vel comissionis est, quo de alibi. Malum pœnæ a-

luis



Iis dicitur quælibet alia carentia boni debiti contracta ob cul-
pam: aliis est ipsa poena, quâ qvis propter malum culpæ afficitur.
Ubi in malo culpæ duo accuratè attendenda (1) materiale, qvod
est aliquid positivum, habitus nempe vel actus (2) formale, qvod
nihil aliud est, quam privatio rectitudinis à lege requisitæ, quæ
habitum vel actum pravum reddit atque vitiosum. De formalí
habitus vel actus pravi nunc potissimum instituitur disputatio,
cum de materiali ceu aliquo positivo non dubitetur. Qvando
verò Deus cognoscere mala à nobis statuitur, id non acceptum
volumus de cognitione experimentalí, quasi Deus ita intelligat
mala, ut ipse ea peragat; neqve de cognitione approbante, quasi
ita per scientiam mala cognoscatur, ut etiam per voluntatem simul
approbet: sed explicandum hoc esse de nudâ intelligentiâ ac
simplici scientia præcipimus.

§. 21. Tuentes Deum cognoscere mala culpæ etiam ratio-
ne formalis, nitimur hisce firmissimis argumentis, petitis (1) *Ab*
oppositi boni cognitione, Q. cognoscit formam bonitatis, ille et-
iam cognoscit formale mali. Atqvi Deus E. Major illustrata est
antea, qvod privatio possit cognosci per habitum, cæcitas per
visum, malum per habitum. Qvando verò privationes per ha-
bitum oppositum sciri statuuntur, id dupliciter posse fieri, vel
per oppositorum remotionem, vel per modum oppositorum
Paulus Voëtius Theol. Natur. cap. 12. §. 4. pag. 309. obser-
vat. Illa cognitio citra imperfectionem ullam à parte cognos-
centis peragit, qvia sic privationes, ut in se sunt, hoc est, ut
non aliquid positivi sunt, cognoscuntur. Hæc verò cognitio
imperfectionem arguit à parte cognoscentis, ut quâ non-entia
aliter, atqve sunt, per modum scil. oppositorum, quæ sunt po-
sitiva realia, attinguntur. Exempli loco adducit idem malum
seu peccatum, qvod à nobis dupli modò concipi assentit, vel po-
sitivè per modum oppositi boni, ut, qvando malum àqve atqve
bonum inhærente concipitur, nam tum malum aliter, ac in se est
cognosci, sicqve ens rationis evadere: vel negativè, removendo
id esse bonum, ut si dicam, malum non est bonum, atqve tūm ma-

Ium non esse ens rationis, qvia concipitur, ut non ens, id est, ut
boni privatio. Et modo hoc posteriori, Deus quando per oppo-
situm malum intelligit, non per modum boni, sed per boni remo-
tionem cognoscit, ut potè qvi modus cum intellectus concipiendis
perfectione optimè stare porest. (2) A naturali DEI ad-
versus mala odio. Q. mala extreme aversatur, illum malorum
notitia fugere neqvaquam potest. At qvi DEUS. Ergò. Major
ex eo constat, qvod, qvemadmodum ignoti nulla cupido, ita
nullum ignoti qvoque odium vel aversatio. De minore verò ne-
mini Christianorum dubitare fas est. (3) A specialibus DEI
circa mala actibus. Q. speciales circa mala actus exercet, illum
latere illorum actuum objectum seu mala ipsa non possunt. At
qvi DEUS speciales circa mala actus excercet. Ergò. Major
vel ex nuda terminorum intelligentiâ liqvet. Minor declarari
potest ex specialibus DEI circa mala actibus, tam antecedentibus,
qvam concomitantibus, & imprimis consequentibus, v. c. ex vi-
tiorum prohibitione, impeditione, permissione, punitione, &
maximè ex eorum in bonum finem directione, de qvibus in Theo-
logia pluribus præcipitur.

§. 22. Similiter nec malum pœnæ latere potest DEum,
qvia hoc immittit hominibus propter peccata, qvæ commis-
erunt. Nam si DEus non cognoscit mala pœnæ, sequitur, qvod
ipsum lateat id, qvod facit. Conseqvens est absurdum E. &
antecedens. Ratio consequentiæ est, qvia DEus infligit mala
pœnæ hominibus, ea autem si non scit, utiq; ignorabit, qvod
ipse facit. Persequuntur ex instituto controversiam hanc, de ob-
jecto scientiæ divinæ negativo Thomas Summ. Theol. part. I.
qvæst. 14. Artic. 1. Roder. de Arriaga, disp. 19. p. 192. & multis se-
quentibus. Vasquez Tom. I. in Thom. qvæst. 14. Artic. 9. p. 227.
seq. Smising. Tom. I. Tract. 3. disp. 2. qvæst. 6. p. 397. Lud. Molina
qvæst. 14. Artic. 10. p. 159. Bonavent. q. 9. Artic. 3. Conferantur de
eadem Clasen Theol. Natur. c. 22. Ardrian. Hærebord. Meletem.
Phil. disp. 29. & p. 109.

§. 23. At-



§. 23. Atq; ita satis de scientiâ divinâ qvâ objectum secundarium negativum pro ratione instituti differuimus. Proximum jam est, ut ad positivum deveniamus, qvod § 12. secundum decantatam & per vulgatam scientiæ divinæ distinctionem (in naturalem, liberam & medium) testè dispescuimus, atq; ad naturalem possibilia; ad liberam præsentia, præterita & absolute futura; ad medium conditionate futura retulimus. De qvibus imposterum.

§. 24. Ut autem methodi ratio sibi constet, vestigiis eorum insistemus, qui divisionem scientiæ divinæ exponentes, primo loco de naturali, secundo de liberâ & tertio deniq; de media præcipiunt: ita & nos primo loco possibilium, deinde præteriorum, præsentium, & absolute futurorum, ac ultimo tandem conditionatè futurorum cognitionem atq; notitiam DEO vendicabimus.

§. 25. Atq; qvod ad possibile attinet, non erit ire per extensum funem, si ante omnia explicaverimus, qvid & qvotupliciter aliquid, possibile dicatur. Offert autem se primo statim intuitu illa possibilis acceptio, qvâ sumitur vel in oppositione ad impossibile, vel in oppositione ad actuale; illo modo notat omne illud, qvod non repugnat esse, sive de facto sit sive minus, qvo sensu omnis creatura, jam de facto existens, immo & ipse DEUS sub ente possibili continentur. Hoc modo notat omne illud, qvod actu qvidem non existit, potest tamen absq; repugnantiâ existere. Hæc autem possibilia in oppositione ad entia actualia ita variant, ut qvædam in tempore suam actuitatem sint consecutra, alia verò non nisi in statu possibilitatis mansura, qvæ possibilium præcisè talium insignire nomine amant Philosophi, qvod aptitudo illa, qvam habent ad futuritionem, præcisâ futuritionis consecutione ipsis conveniat. Atq; de his in præsenti loquimur, non qvæsi DEO futurorum ac impossibilium cognitionem detrahheremus, sed qvia hic ea, ubi de possibilibus contradistinctis futuris & impossibilibus sermo est, in considerationem venire nullâ ratione possunt.

§. 26.

§. 26. Porro possibile in oppositione ad actuale sumitur vel absolutè, in se, & absqve ullo respectu; vel respectivè & cum ordine ad potentiam, à qvâ potest produci. Priori modo possibile denominatur à possibilitate seu potentia rei intrinsecâ, qvam habet ad effundum vel existendum, & formaliter in non-repugnantia consistit, qvæ non repugnantia in suò conceptu formalí duo involvit (1) qvod res nondum sit (2) qvod possit esse vel fieri, sive qvod idem, qvod non implicet contradictionem ad hoc, ut sit vel fiat, etiamsi forte nunquam sit extituta & futura. Posteriori modo possibile præter illam non-repugnantiam per qvam in esse possibilis absoluti constituitur, etiam involvit simul potentiam, à qvâ ex statu possibilitatis in statum actualitatis & existentiæ potest deduci. Atq; hoc posteriori respectu acceptum possibile vicissim vel naturæ est, vel omnipotentia divinæ. Illud per naturæ vires citra specialiorem DEI influxum ac operationem produci & in statum existentiæ deduci potest. Sic non repugnat in aliquo loco, multam generari auri copiam, homines plerosq; fieri doctos, et si hæc nunquam eveniant, aut solùm futura sint. Hoc autem est, qvod Deus per absolutam suam potentiam facere potest. E. g. plures producere soles, lunas, alium condere mundum &c. Constitit hactenus de variâ termini possibilis acceptione. Ordo nunc postulabat, ut ad instituti probationem, & objectum scientiæ divinæ liberæ ac mediæ progressum faciemus; sed, qvia angustia pagellarum non capit, eorum diductionem pleniorē in subsequentem disputationem differimus,
DEO int̄erea pro veritatis manifestatione, viribusq; concessis devotas persolventes gratias.



05 A 1492



Vb/17






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-546255-p0020-0

DFG

Farbkarte #13




B.I.G.

I. N. J.
De
OBJECTO SCIEN-
TIÆ DIVINÆ,
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
P R I O R
Quam
In electoralī ad Albī Academiā
P R A E S E S
M. JOHANNES D e u t s c h e /
SVERIN. POLON.
&
RESPONDENS
JOHANNES N E M Y Z E /
STARG. POMER.

Placido eruditōrum examini
sistunt,

In Auditorio Minori.
Horis. Antem.

Ad diem XX. Octob. Anno M DC LXXVII.



WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.